

Prosopographia Imperii Romani saec. I. II. III. Pars VII, fasciculus 1. Consilio et auctoritate Academiae Scientiarum Berolinensis et Brandenburgensis iteratis curis edidit Klaus Wachtel adiuvantibus M. Heil, A. Strobach. Berolini – Novi Eboraci, apud Walter de Gruyter MCMXCIX. ISBN 3–11–016743–3. 143 p. DEM 97.90.

Duobus annis post partem sextam PIR editam novum fasciculum habemus, qui nomina litteris Q et R incipientia continet. Hoc eventu rerum Romanarum studiosi valde gaudent eodemque tempore sperant fore, ut etiam fasciculi reliqui simili velocitate ad manus suas perveniant. Librum hunc legentibus rursus manifestum fit editores officio suo accurate perfunctos esse. Multis locis investigationes librique novissimi, etiam tituli inediti narrantur (de ineditis videas e.g. sub Q 13 et p. 53 [Perge]). Inter viros mulieresque laudatos notari possunt homines aut fontium multitudine notissimi aut alia quadam re praeclari, ut Quintilius ille Varus (cos. 13 a. Chr. n.), cuius clades in saltu Teutoburgiensi amplissime a scriptoribus memorata est. De viris doctis mentio facienda est Remmi Palaemonis grammatici, cuius ad vitam quae pertinent nunc commode collecta sunt sub R 49, atque Ruforum duorum notorum, medici scilicet Ephesii (R 199) sophistaeque Perinthii (R 203). Praeterea in tabulas relati sunt Rabbelus (II), rex Nabataeorum, multique reges Thraciae (aut Bospori), quibus nomina fuerunt Rhascuporidis et Rhoemetalcis. Nullas omissiones graves, minora tantum errata (typographica vel sim.) eaque perpauca notavi. Hoc tantum quaerendum, ubi lateat Rhesius tit. VI 41140. In universum albo alphabetico continentur 57 (Q) et 267 (R) voces; stemmata genealogica numero sunt sedecim. Auctores singularum vocum siglis *He*, *Str*, *Wa* distinguuntur, eodem autem modo eae quoque adnotationes signari debuerunt, quae haud numero sed lineola munitae ad viros mulieresque aliorum fasciculorum spectant.

Quae sequuntur observatiunculae sunt ad singulas voces: P. 5: cognomen Publiciae Quart[---] incertum est. – Q p. 6 infra: scribe *q(uin)[q(uennalis)]*. – Q 8: tit. Suessanum X 4749 Capuae in *Museo Campano* adservatum e litterarum forma saec. I posteriori aut initio saec. II p. Chr. n. adscripserim. – Q 26: an Condiam quandam uxorem duxerit Maximus, cum alter filiorum *Condiani* cognomine utatur? – Q 42: scribe *Ferentinatem*. – Q 44–45: laudari potuerunt ea, quae de nominibus amborum statuit Salomies (Vornamen 228 adn. 204; Adoptive and Polyonymous 14). – Q 57: ad nomen *Quisenti* grandaevi emendandum ($\chi\omicron\upsilon\iota\sigma\acute{\epsilon}\nu\tau\iota\omicron\varsigma$ *cod. P*) *Consenti* loco potius de nomine *Visenti* cogitare possis. – R 3 v. 10 scribe: *Rabirium*. – R 11: scribe $\tau\alpha\upsilon\rho\varsigma$. – R 25 ex.: scribe *L. Sensi*. – R 104: Rotundo cum necessario agnomen fuerit *Drusilliani*, formas eius a scriptoribus servatas paullulum corrigas. – P. 68 v. 5: scribe *additis*. – R 117: de nomine uxoris Rubreni supplendo videas iam F. Chausson, JS 1997, 244 sqq., qui eam *[Tri]ariam* fuisse putavit ideoque necessitates inter homines R 117, 119 et 120 intercedentes diverso modo exposuit. – R 231 ex.: scribe *Lazio*. – R 239 v. 3: scribe *Plancium*. – R 248 (p. 136): Rutiliae Corfinii notae cognomen fuit *Paulinae* (IX 3182). – R 257: de legatis ad census accipiendos missis (cfr. VI 41229 *ad [cen]sus accepta[n]d[os]*) videas etiam B.E. Thomasson, Legatus (1991), 92 sqq. – R 263: cfr. Kajava, Female Praenomina 179. Praeterea mihi videtur Rutiliam tituli EE IX 947 non eandem esse ac mulierem sub hac voce laudatam.

Mika Kajava